

INTRODUCTIO.

NON OMNIS FERT OMNIA TELLUS dixit quondam admodum concinne Virgilius, idque in proverbium redegit posteritas, quod sane, si non de aliis obtineret plantis, certe de *Palmis* verum esset, quarum nullam tulit unquam Europa Sylvestrem vel Spontaneam.

Mira & præ reliquis singularis est hæc PALMARUM familia, quæ si ipsam plantam spectes, nec arbor, nec frutex, nec suffrutex, nec herba est. Si staturam consideres, nullas hisce gratiores reperias. Si in hybernaculis instructissimis vegetabilia rariora desideres, nulla his nobiliora occurrant. Si fructus suaves & delicatissimos ac utilissimos requiras, nullos a Deo T. O. M. humano generi magis necessarios concessos fuisse facile fatearis. Si theoriam generum apud omnes summosque Botánicos respicias, omnino confusam, mancā & imperfectam videas. Si flores examines singulari & vix explicabili structura eos gaudere patebit, ut non mirum sit, quod vix ullus Systematicus vastissimam hancce Palmarum sylvam intrare unquam ausus fuerit.

Nos, quibus civitates Palmarum adire non contingit, unicum modo civem examinare volumus, qui præfens sese offert, *Musa* dictum. *Musa*, inquam, planta ista, quæ omnes Peregrinatores in admirationem traduxit, nostrum in præsentem Subjectum erit, illaque ipsa planta quæ hocce tempore in *Horto*, si quis alius instructissimo, Nobiliss. & Generosiss. D. D. GEORGII CLIFFORTII *Hartecampiano* flores egregie protulit.

In ea examinare animus est *singularem* istum *florendi modum*, quo ab omnibus in universum plantis diversissima

A

est,

2 INTRODUCTION.

est, ut eo dato facilius intelligi queat Palmarum reliquarum indoles. *Quidquid* de planta nostra *Indiæ utriusque lustratores* scriptis communicarunt, in brevi compendio tradam, nec meum erit determinare num hæc fuerit ARBOR VETITA PROTOPLASTIS? num iidem hujus FICUS FOLIIS nuda sua texere corpora? num hæc fuerit DUDAIM? num hæc fuerit UVA E TERRA PROMISSA a duobus viris transportata? num hæc fuerit PHOENIX ANTIQUORUM? num hæc veterum SAPIENTUM INDIE CIBUS, nec ne? Ego hæc & similia modo proponam, rationes vero Hieroglyphis & Philologis explicandas relinquam.

I. NOMINA.

NOMINA hujus plantæ varia, antequam aliquid de proprietatibus ejus dicamus, exhibere tenemur; ea enim si pereunt, perit & cognitio rerum. Si quæ planta unquam pluribus insignita fuerit nominibus, sane hæc nostra talibus superbit, verum ea omnia recensere vanum fore judicamus, modò primaria, a Botanicis tradita, colligere placet, ne numerus eorum in infinitum excrescat.

Nomen selectum.

I. *Nomen* quod reliquis præferimus & rectius positum judicamus, est sine additamento

M U S A,

Cujus Synonyma distinguimus in ea quæ Systematici, dein Descriptores, tum quæ variæ Gentes nobis reliquere nomina. Superfedimus recensere nomina ista infinita *Peregrinatorum*, quæ singulari industria, nec sine immenso labore in FLORA sua JAMAICENSI pag. 189. 190. 191. 192. redegit *Illustriss. D. D. Hans SLOANE*, ad quem